



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117832

§.14. Episcopi in Britannia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

§. XIV.

Sæculum VI.
A. C. 566.*Episcopi in Britannia.*

Operæ pretium est, ut hujus Concilii Canon, in quo adnotatur discrimen Episcoporum Romanorum, & Britonum in Provincia Armoricæ, explicetur. Illa ætate adhucdum Romani dicebantur veteres Galliæ Incolæ; at in Armoricam id est oram maritimam Oceani tunc novi advenerant, nempe Britanni ex Insula sua pulsi ab Anglo-Saxonibus, qui Hengisto Duce anno 446. illo trajecerant. Exinde Insula, quæ Britannia dicebatur, a plurimis Anglia appellata est, Britannia autem dicta est illa Armoricorum in Gallia Regio, quo magnus Britonum numerus confugerat. Porro his Episcopi ex sua Gente erant, lingua & moribus a Gallo-Romanis distincti.

Ex eorum numero fuit S. Samson, qui, ut vidimus, tertio Concilio Parisiensi interfuit. Is natus in Regione Cerdifensi Provinciæ Cambriensis vitam Monasticam amplexus est sub Disciplina S. Hel-

Sup. XXXIII.

S. 56

tutii, quem Discipulum S. Germani Antistiodorensis fuisse ferunt; ille enim In-

C 4

stituti

Dinge aus Mangel reiferer Ueberlegung Greuel und Schändungen des Gottesdienstes zu fern. Wäre er ohne Vorurtheile, würde er sie mit andern Augen ansehen.

Sæculum VI. C. 566. stituti Monastici primus in Magna Britannia Auctor creditur. Narrant, S. Germanum post secundam profectioem in Angliam ibi reliquisse aliquos discipulos, sub quorum Institutione informati sunt alii. Duo cæteris magis celebres ex hac Schola prodire, nempe S. Dubritius & S. Heltutius. S. Dubritius Episcopus Harlegii Cambriæ seu Walliæ Metropoli fuit. Idem Diocæsin Landavanam in Clamorgania rexit, habuitque Successores, Harlegii S. Davidem Monasterii Menevetani Fundatorem, & Landavæ S. Teliavum, cujus Successor S. Udoceus duo Concilia circa annum 560. celebravit. In iis illius Regionis Principibus publica Pœnitentia injuncta. S. Heltutius Divinis Humanisque Scientiis eruditissimus erat. A S. Germano Presbyter ordinatus Monasterio cuidam in eadem Regione Clamorganiensi præfuit, S. Samsonem a suis Parentibus oblatum suscepit, & sollicite instruxit.

to. 5. Conc. p. 828. Act. SS. Ben. to. 1. p. 168.

Samson virtutibus & litteris excultus, & Presbyter a S. Dubritio ordinatus, aliquamdiu vitam Eremiticam duxit in quadam Insula sub regimine alicujus S. Presbyteri. Tum Abbas rexit Monasterium, quod a S. Germano fundatum ferebatur. Episcopus ordinatus trajecto mari in Galliam Armoricensem venit, ubi Monasterium Dolanum & plura alia fun-

p. 176.

fundavit. Dolæ Cathedram erexit E- Sæculum VI.
piscopalem, cumque aliquot annis illam A. C. 566.
rexisset Ecclesiam, anno circiter 565. ad Mart. Rom.
Cœlestia transit. Multa ab ipso edita 28. Jul. vit.
narrantur Miracula, atque Ecclesia ejus lib. 2. c. 10. 10.
memoriam 28. Julii honorat. Cum pro- 1. Act. 183.
cederet, Crucem sibi præferri jubebat,
quod hodie Archiepiscopi solent.

Sub idem tempus S. Maclovius, † † S. Malo.
dictus etiam Machutius, ad Superos trans-
latus est. S. Samsonem Sanguinis pro-
pinqvitate contingebat, educatus a S. Ab-
bate Brendano viro scientiis & virtuti-
bus claro. Episcopus Guidonis-Castri,
quod postea Vintonia dictum est, in Co- Act. SS.
mitatu Parentis sui invitus ordinatus, ut Ben. p. 217.
Episcopalem effugeret Dignitatem, mare
trajiciens apud Virum Sanctum, cui no-
men Aaron, divertit, in Insula ad oram
Armoricorum sita. Haud procul inde Viri Sancti.
in alia Insula posita erat urbs Alethensis,
jam tunc Incolarum multitudine & Mer-
catura spectabilis; at plerique Civium
infideles erant. Pauci inter illos Chri-
stiani S. Maclovium rogarunt, ut cœte-
ris veritatem Religionis Christianæ præ-
dicaret. Suscepit ipse piissimum labo-
rem tam prospero eventu, ut sequenti-
bus & confirmantibus prædicationem e-
jus Miraculis plurimi fidem receperint,
eumque suum Episcopum esse compule-
rint. Hæc fuit origo Sedis Episcopalis

Sæculum VI. Alethensis in Britannia, quæ posteriore
A. C. 566. tempore Nomen a S. Maclovio accepit.

Mart. Rom. Superis insertus est S. Maclovius anno
15. Nov. circiter 565. atque Ecclesia ipsius Memo-
Act. SS. to. riam 15. Nov. colit. S. Samsonis in Se-
1. p. 223. de Dolana Successor fuit S. Maglorius
ipsius Patruelis & unacum ipso sub Di-
disciplina S. Heltutii informatus. Eum
S. Samson Diaconum ordinatum secum
in Galliam deduxit, & morti proximus
Successorem suum pronunciavit. Ipse
vero post duos tresve annos abdicato E-
piscopatu, illumque Budoco Discipulo
suo relinquens in desertum se recepit,
fundavitque Monasterium, in quo Mona-
chis sexaginta præfuit. Editis multis
Miraculis vitam posuit anno circiter 575.

Mart. Rom. 24. Octobr. qua die Ecclesia ipsius Me-
24. Octob. moriam colit.

Boll. I. Maji. S. Briocus in eadem Regione Magnæ
to. 12. p. 91. Britannia natus Episcopus ordinatus e-
Coint. an. ditis multis Miraculis in Galliam traje-
520. n. 8. 15. cit, & unum fundavit Monasterium, al-
an. 574. n. 22. terumque in illo loco, qui ab eo nomen
sortitus est, postea in Cathedram Epis-
copalem erectus. Tempus, quo vive-
bat, accurate non scimus, floruit vero
in hoc ipso Sæculo, atque ab Ecclesia pri-
ma die Maji honoratur. Civitas quoque
Trecorensis initio Monasterium fuit a
S. Tudualio, qui ex Magna Britannia ad-
venerat, fundatum. Is anno circiter 532.

S. Briocus. Epis-

Episcopus Lexobienſis electus Succelſo-
rem habuit S. Rullinum Diſcipulum ſuum
anno 574. defunctum. Sedes Lexobien-
ſis, admodum antiqua poſtea Treſcorum
translata eſt; hinc prioris loci nomen
hominum memoria excidit.

Sæculum VI.

A. C. 566.

Coint. an.

553.

Econtra in eadem Ora maritima no-
va Cathedra Legionenſis pro S. Paulo co-
gnomento Aureliano erecta eſt. Pauli

Bell. 12.

Mart. to. 7.

p. 208.

patria fuit in Provincia, quæ tunc *Pen-
noben* dicebatur, & Cornubiæ pars fuiſ-
ſe creditur. Is cum S. Samsone & S. Gil-
da, S. Heltutium Magiſtrum habuit.
Compulſus timore, ne Episcopus eſſe co-
geretur, etiam ipſe in Galliam devectus
eſt, & primo quidem in Inſula Oveſana,
tum in alia tandem in continente & ur-
be Legionenſi ſedem fixit. Cum Vithu-
rus Comes Pauli Sanctitatem venerare-
tur & miraretur miracula, effecit ut ac-
cedente Childeberti Regis voluntate an-
no 529. Episcopus ordinaretur; ipſe tan-
dem Senectute gravis anno 553. Eccle-
ſiæ ſuæ Regimen abdicans ſibi ipſi ſuffe-
cit S. Jaovam, tum S. Ternomailum Di-
ſcipulos ſuos, cumque uterque hanc Se-
dem ultra annum non tenuiſſet, S. Pau-
lus regendæ Eccleſiæ denuo humeros ſub-
jecit anno 555. & demum elapſis annis
undecim ſcilicet anno 566. tam grave o-
nus alteri Diſcipulorum ſuorum, cui no-
men Cetomerinus reliquit. Ipſe in In-
ſulam

fulam

Sæculum VI. fulam Barfam se recipiens multis adhuc
 A.C. 566. annis superstes plurimorum Monachorum
 Cœnobium rexit.

§. XV.

Viri Sancti in Magna Britannia.

Boll. 29.
Jan. to. 2.
p. 952.
Act. SS. to.
1. p. 138.

Specil. to. 9.
præf. bibl.
PP. to. 5.
p. 477.

Sanctus Gildas cognomento Sapiens a-
 lius S. Heltutii Discipulus anno circi-
 ter 484. Britannoduni in Scotia natus,
 Presbyter Verbum Dei prædicavit in
 Provincia Septentrionali Magnæ Britan-
 niæ, & deinde in Hybernia, quo Fidei &
 Disciplinæ puritatem reduxit. Tandem
 in Galliam delatus, in ora Meridionali
 Britannæ minoris Sede electa prope Ve-
 netiam, Monasterium Busiense, quod ho-
 dieque ab ejus nomine dicitur, ædifica-
 vit, ibique anno 565. diem clausit. De
 S. Gilda supersunt nobis aliquot Cano-
 nes ad Disciplinam pertinentes, & Ser-
 mones duo de Magnæ Britannæ occasu.
 In primo Sermone deflet calamitatem
 Patriæ suæ Anglo-Saxonum Victorum
 jugum subeuntis, quod ipsius ætate con-
 tigerat. Hujus Ruinæ causam Gentis
 suæ corruptissimos mores fuisse dicit.
 Oratione ad quinque Principes Constan-
 tinum, Aurelium, Conanum, Vortipo-
 rem, Cuneglam & Maglocunum, qui
 tunc Britannæ imperabant, speciatim
 directa, singulis sua vitia exprobrat, &
 ad Pœnitentiam excitat, ea animi libertate
 &